



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**In Amos, Abdiam, Et Ionam Prophetas, Commentarij  
Francisci Lamberti Auenionensis**

**Lambert, François**

**Argentorati, 1525**

**VD16 B 3868**

De eo, quod Ionas dicitur, filius Amathi. Capvt III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35983**

FRANC. LAMB. IN IONAM

lomon, id est, pacificus dicitur. Cant. 3. ipsa Ecclesia Sulamis, uel Schulamis, id est, pacifica appellatur. Cāt. 5. & 7. ita & à Christo columbo, Ecclesia ipsa columba est, atque uocatur. Siquidem & sponsi, & sponsae, omnia communia sunt. Est ergo Christus uerus Ionas, id est, columbus, simplex, optimus, & spiritu sancto plenissimus, sine quo nullus eiusdem spiritus particeps esse potest.

De eo, quod Ionas dicitur,  
filius Amathi.

C A P V T . III.

**A**mathi filius, Ionas fuit, quod maiorem in modū ex primit, & Patris summi, & Domini IESV Christi gloriam. Amathi enim, si interpretetur, ueritas est. Et Deus quid est, nisi ueritas? Et Christus seipsum ueritatem dicit. Ioan. 14. Ego sum, inquit, uia, & ueritas, & uita. Est autē Christus, filius ueritatis: ueritas, à ueritate: lumē, de lumine: Deus uerus, de Deo uero. Et quotquot in eum credunt, fiunt dei, lucis, & ueritatis filii, eius p̄ illum participes. Ioan. 1. Verum non sunt ex se, ut Christus, ueritas, lux, aut Deus uerus, sed Christus ipse in eis est, lux, ueritas, uita, & omnia. Vnde et illorum conuersatio, his qui in tenebris ambulant, & mundo, debet esse lux, quod maxime spectat ad ministerium sermonum lucis, & ueritatis Dei, quibus ueri fideles in Ecclesia filios generant. Sic

Paulus

**P**aulus per Euangelium dicit se genuisse Corinthios. i. Corinthis. 4. Ipse tamen summus Pater est, qui id maxime per seruos suos efficit, nos uoluntarie, gratis, & absq; nostris meritis generas sermonibus ueritatis, ut simus initium aliquid creature eius. Iaco. 1. Frustra enim prophetamus, nisi Deus ipsam prophetiam faciat efficacem. Summa: Christus est uerus filius Amathi, id est, ueritatis, & per eum, uniuersi fideles, Amathi filii sunt.

**D**e eo, quod Jonas nimium dilexit  
populum Israël.

C A P V T     IIII.

**T**anto ardore Israëlis gemit amauit Jonas, ut excederet in odio, gentium ceterarum. Hoc ille minus diligens proximos fecit, et aberrauit, sicut probauimus: tam si non dubito, eum, nescio quid latentis fiducie habuisse in Dominum, propter quod non tam fuit coram eo ab ominabilis Fide enim salui fuit electi, etiam inter quæcumque errata & peccata. Nam in Iudea, per id tantum beati sunt, quod illis peccata minime imputentur ex ipsa fide, quemadmodum Psal. 31. habetur: Beati, quorum remissæ sunt iniuriantes, & quorum tecla sunt peccata. Beatus uir, cui non imputauit Dominus peccatum. Jonas ergo nimium dilexit Israëlem, & Gentes nimium odiuit. Proinde noluit ire ad Ninuïas, timens, ne si resipiscerent, hoc esset in graui

R 4 us iudicium